



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.

ANNO  
CHRISTI  
1322.

ISTÆ SVNT CONSTITUTIONES PER NOS  
fratrem Guillermum Dei permissione episcopum Sabinensem, a-  
postolicæ sedis legatum, factæ ac editæ in Concilio celebrato per  
nos apud Vallemoleti Palentinæ dioecesis, prælatis omnibus  
nostræ legationis ad celebrandum dictum Concilium conuoca-  
tis, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo vigesimo  
secundo, quarto Nonas Augusti, qua die præfatum Concilium  
exitit terminatum.

### P R A E F A T I O.

**I**N VNCSTVM nobis legationis exposit officium, vt at-  
tentis studiis & cura perwigili ad reformatos in cle-  
ro & populo legationis prædictæ mores & actus deuios,  
prout ex alto præmittitur, intendamus, & in his præcipue  
apponamus remedium, in quibus maius periculum con-  
spicimus imminere. Hæc est quippe Dei patris ordinatio,  
hæc lex existit ecclesiæ almæ matris, vt qui obsequiis ec-  
clesiasticis mancipati existunt, solerti cura & prouiden-  
tia præfulis sincere & pure in domo Domini conuersen-  
tur, & vt cordis oculus nube erroris obductus, illustratio-  
nis lumine sit serenus. Ad ista igitur, ad quæ feruentius a-  
spirat nostra intentio, conuertentes aciem nostræ men-  
tis, vniuersorum nostræ legationis prælatorum apud Val-  
lemoleti Palentinæ dioecesis ad præmissa agenda Conci-  
lium duximus conuocandum, cum quibus habita dis-  
cussione solerti & deliberatione matura super his quæ  
correctione & reformatione indigebant, sacro appro-  
bante Concilio constitutiones infrascriptas edidimus,  
easque in maiori ecclesia loci prædicti die secunda Augu-  
sti anni præsentis millesimi trecentesimi vigesimi secun-  
di, pontificatus summi patris domini, domini Ioannis pa-  
pæ XX. anno sexto, in præsentia dicti Concilii, & clericor-  
um aliorum astante multitudine, fecimus publicari. Sed  
quamquam singulorum auribus iuxta canonicas sanctio-  
nes non esset post publicationem huiusmodi constitutio-  
nes prædictas necessarium inculcare, tamen ne aliquis ab  
ipsarum obseruantia possit se per ignorantiam aliquatenus  
excusare, prædictis nostræ legationis prælatis iniungimus,  
in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo man-

ANNO  
CHRISTI  
1512. dantes eisdem , quod ipsas constitutiones omnes & singulas in suis cathedralibus ecclesiis infra octo dierum spatiū postquam illuc delatae fuerint , clero non exempto , qui de ordinaria , exempto vero , nec non religiosis exemptis , tam militaribus , quam non militaribus , auctoritate nostra , & populo conuocatis , & deinde in primis eorum Synodis solenniter & integraliter faciant publicari . In aliis vero summarie legi procurent , ut crebra huiusmodi lectio harum constitutionum præsentibus præseruet , & posteris notitiam largiatur . Mandamus etiam quod prælati prædicti ad harum constitutionum obseruantiam dent , quantum in ipsis fuerit , operam diligentem . Volumus insuper , quod constitutiones prædictæ ad obseruantiam sui ligent omnes nostræ legationis , & singulos , post duos menses a publicatione prædictæ facienda in prædictis ecclesiis cathedralibus numerandos .

## C A P I T V L A .

### I.

Alma mater ecclesia ab vnigenito Dei filio primitus instituta , & a sanctis patribus succedentibus temporum curriculis ordinata constituit , vt metropolitani cum suffraganeis suis annis singulis provincialia celebrare Concilia non omittant , in quibus super obseruantia Canonum , releuatione ecclesiarum , corrigendis excessibus , & moribus reformati diligens cum eis habeant consilium & tractatum , & faciant ac statuant quæ circa hæc viderint expedire . Et quia nonnulli prælatorum per plures annos hoc negligenter facere omiserunt , ex quo plura peruererunt ecclesiarum dispendia , & etiam pericula animarum , monemus archiepiscopos omnes & singulos , vt statutum generalis Concilii super hoc editum diligenter obseruent , sacro approbante Concio statuentes , vt si archiepisco-